



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologiæ Speculativæ Scholasticis Prælectionibus Et Exercitiis Accommodatæ Libri IV

Haunold, Christoph

Ingolstadii, 1678

Contr. I. Vtrum Angelorum Existentia possit Naturalibus rationibus
demonstrari.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82733](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82733)



LIBRI PRIMI TRACTATUS III. DE ANGELIS.

CAPVT PRIMVM. DE NATVRA ANGELORVM. CONTROVERSIA I.

Vtrum Angelorum Existencia possit Naturalibus Rationibus demonstrari.

782. **X** suppositione, quod Deus aliquid ad extra producere voluerit, fuisse Deo necessarium producere substantias purè spirituales, nullam cum corpore tanquam parte constitutiva conjunctionem habentes, tribus vel quatuor argumentis non ingeniosè minùs, quàm operose deductis, evincere conatur P. Martinus Esparza; & quamvis non expresse dicat esse Metaphysicas demonstrationes, ita tamen proponit, vt tales esse videri possent, & quibusdā videantur.

Ego tamen, illis diu expensis, existimo vim congruentiarum non excedere. Hujus opinionis est etiam P. Derkennius d. 1. c. 1. §. 2. qui hoc pronuntiat de argumento S. Thomæ, cætera non refert, sed idem vtique dicturus de illis, quia vel ad argumentum S. Thomæ referuntur, vt agnoscit P. Esparza, vel faciliorem habent solutionem, vt videbimus.

783. DICO 1. Possibilitas Angelorum videtur positivè efficaciter probari posse, saltem ex suppositione possibilitatis animæ rationalis, ita vt intellectus benè dispositus, si non Metaphysica, saltem Morali necessitate inducatur ad assentiendum. Probatio erit hujusmodi. Evidens est, à creaturis participari divinas perfectiones simpliciter simplices: ergo rationabiliter negari aut in dubium vocari non potest, omnem illam perfectionem simpliciter simplicem esse communicabilem creaturis, quæ in suo formali conceptu non dicit Infinitatem: quæ enim potest esse Ratio de vna potius quàm altera? At-

qui esse substantiam intellectualem purè spiritua-lem, completam, est perfectio simpliciter simplex, nullam involvens contradictionem, cum detur in Deo: & hæc in suo conceptu formali non includit Infinitatem, sive, non est prædicatum ex suo conceptu soli Enti Infinito competens, sicut est Immenitas, Omnipotentia &c. Ergo est communicabile creaturis. atqui talis creatura erit Angelus. Ergo. Quod prædicatum *Substantiæ spiritualis completæ* non includat in suo conceptu formali rationem Entis Infiniti, videtur ex terminis clarum, & probari potest. si enim includeret Infinitatem, ideo includeret, quia nobilissimum illius prædicatum; *esse intellectivum, independenter à sensibus*; esset proprium solius Dei: sed hoc rationabiliter dici non potest: nam *id esse intellectivum dependenter à sensibus*: seu: principium spirituale intellectivum esse incompletum, & in operando indigere corpore, est quid difficilius perceptibile, quàm esse intellectivum independenter à sensibus: quia spirituale opponitur corporeo: ergo ejus conjungibilitas & dependentia à corpore, est captu difficilius: quia omne oppositum fugit potius à suo opposito, quàm vt illud appetat, eoque indigeat: ergo si supponimus, quod *id Intellectivum vt sic*, possit communicari principio creato Incompleto, & indigo corporis, facilius & à fortiori cogimur asserere, posse communicari *id Intellectivum*, absque indigentia corporis.

784. DICO 2. Ex suppositione, quod Deus voluerit aliquid ad extra producere, fuit
P 3 Meta-

Metaphysicè necessitatus ad producendam aliquam Substantiam Intellectivam. Ratio est manifesta. Quia non potest Deus operari nisi ex intentione Gloriam suam, atqui non aliter potest ex creaturis gloriam consequi, nisi se in illis manifestando, ut inde cognoscatur, & glorificetur: atqui non potest glorificari & cognosci nisi à substantia Intellectiva: ergo &c. In re clara, & huc non pertinente, non vacat immorari.

785. DICO. 3. Ex eadem suppositione voluntatis divinæ ad aliquid creandum, non inferitur ullo modo necessitas Metaphysica producendi substantias completas omnino incorporeas. Referam argumenta Recentiorum, quibus id præstare conati sunt; & ostendam non præstari.

786. Primum argumentum est desumptum ex S. Thoma, quod Cajetanus format hoc modo. *Necesse est univrsū esse perfectum: ergo perfecte simile DEO, (quantum creatura potest esse similis DEO, quoad gradum perfectionis) ergo simile DEO secundum intellectivam naturam.* (qui est gradus supremus possibilis, esto intra hunc gradum sint multiplicabiles perfectiones specificæ in infinitum.) *ergo necesse est ponere aliquam creaturam incorpoream. Antecedens patet. Prima verò consequentia probatur. quia perfectio univrsi consistit in assimilatione ad Deum; quod probatur: quia est præcipue intentio inter omnia in rebus ipsis creatis à DEO. Secunda verò consequentia probatur: quia DEVS agit secundum intellectum & voluntatem. Tertia verò consequentia probatur, eo quod intellectus nullius corporis est actus.*

787. Hoc argumentum tamen evincat id quod in secunda Conclusionem posuimus, nempe fuisse necesse creari aliquam substantiam Intellectivam, eo quod sine huius similitudine cum DEO, nulla alterius creaturæ similitudo esset amabilis à DEO, (& hoc solum directe intendisse S. Thomam fatetur Cajetanus) non evincit tamen productionem necessariam Angelorum. Falsum enim est, quod DEVS fuerit necessitatus ex hypothesi alicujus rei producendæ, producere substantiam perfecte similem DEO, quantum possibilis est quoad gradum perfectionis, alioquin fuisset Deus necessitatus ad ponendum statum elevationis & Unionem hypostaticam, hoc est, Substantiam cui indispensabiliter deberetur Visio DEI & Beatitudo supernaturalis. Talis certe substantia esset utique similior DEO quam quicumque Angelus; esset etiam hæc substantia in gradu superiore quam sit Angelus. Nam Regula distinguendi gradus, quam tradunt hi ipsi Recentiores, hic locum haberet: Illa enim differunt gradu, & non tantum specie, quorum prædicatum differentiale est nobilius quam prædicatum quodcumque, in quo cum alio conveniunt. atqui esse substantiam cui debeatur Visio DEI, & comprehensio omnium rerum etiam supernaturalium, & cognitio futurorum &c. habet huiusmodi prædicatum differentiale; quia sicut esse sensitivum est nobilius quam vivere ut sic,

& ideo Brutum est in superiore gradu ad plantam, ita esse substantiam intuitivam essentia divina, impeccabilem &c. est perfectius quam esse Intellectivam ut sic.

788. Sicut ergo DEVS potuisset nolle statum Elevationis & Unionem hypostaticam, (quod quidem aliqui Moderni alibi refutandi, ob similes ratiunculas in dubium vocare ausi sunt) ita potuisset DEVS, volendo Unionem hypostaticam, & Personam Christi, nolle Angelos, eo quod vellet Naturam assumptam esse omnium naturarum supremam, etiam quoad suam perfectionem essentialem, nec de ea dici posse: *Monorastium paulo minus ab Angelis.* Sane non est evidens, hæc non potuisse velle Deum.

789. Illud Principium: *Omnis causa agendo intendit sibi assimilare effectum;* procedit quoad causas univocas, quoad æquivocas & Intellectuales nullam habet evidentiam, nisi quoad similitudinem in ratione cognoscendi, hoc est, ut effectus sit similis Ideæ, quæ est in intellectu agentis, non autem quoad similitudinem in ratione essendi. Et hæc circa primum argumentum Recentiorum.

790. Alterum argumentum. Univrsū hoc (idem dicendum de qualibet collectione rerum creabili à DEO) est vndeque perfectum intrinsece ex sua natura, hoc ipso quia est opus DEI: adeoque nihil illi deesse potest eorum, sine quibus esset ineptum ad suum finem consequendum, ac nihil illi perperam inesse debet. Rursus ad perfectionem operis divini adæquate sumpti, seu univrsi cuiusvis, spectat specialiter, ut in eo emineat omne genus perfectionum absolute possibile, atque invicem compossibile. Quia opus respectu perfectum dicitur illud solum, in quo apparet tota perfectio præexistens in causa, totaque Artificis peritia. Cum igitur Deus contineat in se essentialiter ac indivisum omne genus perfectionis, necesse utique est ex natura rei, ut in effectu adæquato, seu in qualibet tota collectione rerum à DEO producta, dentur entitates & perfectiones omnis generis.

791. Antequam ulterius progrediamur, dico, hoc præsuppositum imprimis non esse evidens. Quia non est evidens, nullam esse possibilem creaturam, quæ non exigit ex intrinseco prædicato existentiam Angelorum, & tamen hoc deberet esse evidens, si evidens esset, non posse à DEO quidquam creari, quin creentur omnes gradus possibiles perfectionum in statu perfectio. Item non est evidens, effectum adæquatum debere continere perfectiones omnis generis, & manifestare totam artificis peritiam. Quia cum Deus sit artifex liber, ita ut potuisset esse artifex in actu primo, & tamen nihil creare in quo ostenderet suam peritiam, ideo non potest esse evidens, quod supposito, quod velit aliquid creare, debeat totam suam peritiam manifestare.

792. Deinde dico, hoc præsuppositum videri falsum. Summum & omnium admirabilissimum artificium est Unio hypostatica, ejusque per

per elevationis statum manifestatio: & falsum est, nullum Vniversum esse possibile, in quo non existat Vnio hypostatica & status elevationis. Si ergo Deus hanc peritiam potest occultare, quidni & peritiam faciendi Angelos?

793. Ulterius. Demus, Deum necessarii debere manifestare etiam peritiam faciendi Angelos, non est tamen evidens, quod debeat angelos producendo Angelos, superesset enim angelus modus eam manifestandi, sicut defacto manifestavit peritiam faciendi Vnionem hypostaticam spirituale inter Verbum & Naturam Angelicam, quando Deus revelavit, aut certe revelare potuit, se quidem potuisse etiam efficere, ut Angelo diceretur: *Filius meus es tu.* sed noluisse. sic ergo potuisset primo homini revelare, se quidem potuisse etiam Angelos ipso superiores creare, sed noluisse. Imò cum primus homo potuisset naturali lumine cognoscere possibilitatem Angelorum, iam sufficienter in ipsa productione hominis manifestasset Deus peritiam faciendi Angelos.

794. Pergamus nunc in argumento Recentiorum. Finis omnium creaturarum est Gloria Dei. Atqui hic finis obtineri nequaquam potest, nisi inductis in Vniversum substantijs Intellectualibus, & quidem purè spiritualibus. Neque enim Natura Intellectualis corporea est sufficiens, ad tribuendam Deo totam illam laudem & gloriam, ad quam vniversum creatum ipsaque natura intellectualis corporea est apta movere, quantum est de se. quia Natura Intellectualis corporea nihil cognoscere potest ex Natura rei, nisi dependenter à sensu, præstantissimas veritates tantum enigmatically, inadæquate ac imperfectè etiam in statu separationis. Cum ergo laus & gloria conditoris derivabilis ex creaturis commensuretur perfectioni cognitionis circa ipsas subortæ ex vi motiva earundem, concluditur, res creatas non posse naturaliter consequi perfectè & adæquate suum istum præcipuum finem laudis & gloriæ Creatoris, nisi dentur Angeli, qui illas, tum singulas seorsim, tum omnium simul ordinem mutuum earum & harmoniam, totamque pulchritudinem adæquate cognoscere & comprehendere possint. Quia non datis huiusmodi substantijs, non posset reduci in actum secundum, & ideo perperam existeret vis motiva, quæ inest creaturis ad cognitionem comprehensivam tum vnus cuiusque ex illis seorsim, tum omnium collectivè, atque ordinis mutui, & pulchritudinis ex omnium proportionem, connexionem, & iusta correspondentiam consurgentis cum virtute inducendi æqualem illi cognitioni delectationem. alioquin Deus egisset instar Musici exhibentis Musicam surdis, aut Pictoris exhibentis picturam cæcis. Hæc illi.

795. Circa hunc discursum, Dico primò, falsum esse quòd Deus pro fine creationis huius Vniversi habuerit, multò minùs quòd debuerit habere Gloriam & Laudem, quæ posset resultare

ex cognitione naturali Angelica supremi Angeli. Cum enim Deus statim ab initio constituerit Angelos in statu elevationis, Laus quam intendit, non erat laus procedens ex cognitione Naturali, sed ex cognitione Supernaturali.

796. Secundò Dico, falsum esse, quòd propterea perperam existeret vis motiva creaturarum corporearum, si non cognosceretur tota harmonia & correspondentia omnium in ratione vnus artificij, per cognitionem vnā indivisibilem. Nam singularum creaturarum vis motiva ad cognitionem sui præcisè, est illa ipsa, quæ concurrat ad cognitionem complexi ex pluribus: ut ergo non sit perperam facta, satis est quòd singulæ partes Vniversi possint exercere hanc suam vim respectu intellectus humani, modò concurrando solæ, modò cum his, modò cum illis. & sic Deus non exhibuisset picturam cæcis, alioquin ineptè dixisset Seneca c. 32. de otio Sapientis: *Curiosum nobis naturam ingenium dedisse, & artis sibi ac pulchritudinis suæ consciam spectatores nos tantis rerum spectaculis genuisse, perditura fructum sui, si tam magna, tam clara, tam subtiliter ducta solitudini ostenderet.* Ecce! iudicio Senecæ satisficit Naturæ spectari ab homine, ut non dicatur in solitudine vel cæcis artem suam exhibuisse.

797. Confirmatur à pari. Si fuisset status elevationis institutus, & non fuisset Incarnatum Verbum, quod fieri potuisse nunc ex communi doctrina suppono, & est doctrina S. Thomæ 22. q. 1. a. 3. ad 2. (quamvis sciam, Recentiores, contra quos agimus, in oppositum propendere) non propterea in habitibus supernaturalibus existisset perperam aliqua virtus activa, etiam si tunc nullus actus supernaturalis circa Vnionem hypostaticam exerceri potuisset, quia nimirum eadem virtus activa exercita fuisset circa alia objecta, quæ modò exercetur etiam circa Vnionem hypostaticam: ergo etiam si creaturæ corporeæ nullam vim motivam exercerent circa Intellectum Angelicum, non propterea haberent vim motivam perperam factam, quia eandem exercerent circa Intellectum Humanum.

798. Imò, res corporeæ defacto per eandem vim activam concurrunt ad actus supernaturales Fidei, per quam concurrunt ad actus naturales, nempe producendo species naturales, quæ deinde ab habitu Fidei eleuantur ut concurrant ad actus supernaturales, ut suprà loco dicam, ubi etiam rejiciam sententiam horum Recentiorum, docentium, quòd habitus Fidei sit Species impressa: hoc supposito, si res hæ corporeæ existissent in statu puræ Naturæ, non propterea existisset perperam aliqua vis activa, etiam si tunc non potuissent concurrere ad actus supernaturales: ergo nec defacto vlla vis activa corporum perperam existeret, etiam si non possent ad vllam Angelicam cognitionem concurrere ex defectu Angelorum.

799. Hinc obiter observo, P. Suarez disp. 35. *Metaph.* bonitate consequentiæ convictum admisisse,

admisit, pari necessitate debuisset produci Vni-
nem hypostaticam, & Angelos, eò quòd argu-
menta pro Angelis procedant etiam in Vnione
hypostatica; quam sequelam, vt pote absurdam,
vt Recentiores declinarent, confugerunt ad
suum *Perperam*, dando nimirum hanc disparita-
tem, quòd Angelis non creatis daretur in reli-
quis creaturis aliqua vis actiua perperam; non
item si non daretur Vnio hypostatica: sed iam
ostensum est, vel in vtroque vel in neutro casu
fore aliquam virtutem perperam factam. Bona
est ergo consequentia, sed falsum consequens,
& quia falsum ex vero sequi non potest, oportet
argumenta allata pro existentia Angelorum, con-
tinere aliquod falsum.

800. Tertiò libenter intelligerem ex his
Recentioribus, quisnam ille Angelus fuerit, à quo
Deus laudari voluit & velle debuit, ex cognitione
naturali comprehensiva totius vniuersi quoad
omnes species illius? Non potuit esse alius
quàm Angelus supremus, præsertim in Senten-
tia Thomistarum, de immultiplicabilitate Ange-
lorum intra eandem speciem, & etiam eorum,
qui saltem defacto putant supremos Angelos om-
nes differre specie, & non posse duo specie di-
versa esse æqualis perfectionis. Quaro jam quo
tempore Lucifer (qui putatur fuisse supremus
Angelus) eam cognitionem habuerit, quo Deus
laudem illam ab eo expectare potuerit, cum via
ipsius fuerit brevissima, ita vt in sententia horum
Recentiorum, fuerit brevior quacunque particu-
lâ discernibili temporis? vnde consequens est,
fuisse eum damnatum dum Mundus adhuc esset
imperfectissimus & informissimus: Fuerunt enim
Angeli statim à principio creati. quomodo tunc
ex vi motiua totius vniuersi, nondum existentis,
potuit comprehensivè intueri artificium Dei?
In se certè hoc non potuit comprehendere, cum
illud non contineat formaliter aut eminenter.
Recentiores, his argumentis nimium fidentes, eò
deductos fuisse vidi, vt faterentur se propende-
re in sententiam S. Augustini, quòd Deus omnia
simul creaverit: certè hoc ad minimum conna-
turalius futurum fuisse: vnde consequens est,
quòd Deus in successiva productione, & eorum
quæ primo die fecit, immutatione, non egerit
officiū perfecti Artificis; Vel si hæc successiva
operatio etiam artificiosa fuit, & tamen conna-
turalius debuissent omnia simul fieri, jam Luci-
fer in via totum artificium non cognovit. Ergo
Deus sine suo frustratus est. Absit!

801. Vltimum argumentum pro necessa-
ria Existentiâ Angelorum desumunt hi Recen-
tiores ex dirigibilitate rerum corporearum, quam
merita vel demerita, in præmium aut pœnam
quandoque requirunt, ab homine autem præsta-
ri non potest: ergo Angeli necessarij sunt. Dis-
tinguo. supposito quòd Deus nolit illas muta-
tiones extraordinarias efficere immediatè so-
lus, transeat, secus nego, & dico, nullum futu-
rum esse miraculum, si Deus immediatè solus ea

efficeret, quamvis congruum fuerit facere per
Angelos: sicut Deus liberè & independenter ab
omni intrinseca exigentia gubernat hunc auxi-
lium hominem per huius aut illius speciei aut Cho-
ri Angelum. Absolvo, & in compendio dico,
quid mihi in hac re videatur.

802. Artificium, quod Deus in condendo
hoc Mundo sibi proposuit, non consistit præcise
in intrinseca exigentia mutua partium, quæ est
finita, sed est aliquo modo infinitum, quia pro-
cedit ex cognitione infinita non solum possibili-
um, sed etiam futurorum sub conditione, adeo-
que in conducentia ad illum finem soli Deo, &
Humanitati Christi notum, quem Deus inten-
dit non præcise per productionem harum specie-
rum, sed insuper in exclusione aliarum possibili-
um, non habentium quidem intrinsecam re-
pugnantiam cum speciebus præsentibus, sed ex-
trinsecam, hoc est, non habentium illam apti-
tudinem conducendi ad finem à Deo liberrimè in-
tentum, sed potius repugnantiam cum illo. In
Exemplo: (non requiritur autem in exemplis
veritas:) multorum philosophorum opinione,
Deus potuisset condere vniuersum ex Materia
prima per seipsam quanta: voluit condere ex
materia habente quantitatem distinctam; vt sci-
licet locus esset miraculo Eucharistico. & sic de
mille alijs. Item ordinavit Deus præcedenti
ad subsequentiâ, vel procuranda vel impedi-
enda, quæ pendent ex libero hominum & Angelo-
rum arbitrio, quæ quia sunt futura plura & plura
in infinitum per totam æternitatem, ideo artifi-
cium divinum in condendo Vniuerso non potest
cognosci totum per modum vniuersi, nisi à cogni-
tione cognoscente hæc omnia, qualem extra hu-
manitatem Christi nulla creatura habet.

In statu puræ Naturæ, vel etiam in statu E-
levationis, si Christus non venisset, à nullo in-
tellectu adequatè hoc artificium comprehendum
fuisset, & hoc cædit in laudem Dei, posse facere
artificium, cuius cognitio adequata non debetur
vlli puræ creaturæ cuiuscunque meriti illa sit.
In istis ergo statibus Deus tum hominibus tum
Angelis ad beatitudinem destinatis, in præmium
concessisset minorem vel maiorem comprehen-
sionem huius artificij, pro diversitate meritum,
sicut modò concedit cognitionem intuitivam
perfectiorem vel imperfectiorem suæ omni-
potentiæ & scientiæ. Et quidem hæc mihi viden-
tur probabilis dici, quàm, quòd Deus fuerit
Metaphysicè necessitatus, vel ad nihil producen-
dum huius vniuersi, vel ad producendum Luci-
ferum, statim æternum damnandum. Potius
enim dicendum esset, Deum fuisse necessitatum
vel ad nihil producendum, vel ad impedi-
dum lapsum Luciferi; ne sine suo frustraretur,
hoc est, laude resultante ex contemplatione com-
prehensiva totius artificij. Cum ergo hoc sit
apertè falsum, multò minus verum erit, Deum
fuisse necessitatum vel ad producendum Lucife-
rum statim damnandum, vel ad nihil producen-
dum.

dom. Ergo etiam si Luciferum non produxisset, ceteris omnibus productis, nihil perperam fecisset. Certe mihi nunquam persuadebitur, quod lapsus praevisus Luciferi non potuisset Deum abstergere à creatione Luciferi, nisi simul abstergeret à productione Vniuersi.

CONTROVERSIA II.

Virum Angelus possit esse compositus quoad Naturam ex Materia & Forma.

Affirmant esse possibilem Alensis, Bonavent. Richardus, Aureolus, Stephanus de Bubalis, Card. de Lugo, Arriaga.

803. DICO, probabilius non esse possibilem. Ita S. Thomas hic q. 50. a. 2. q. 6. de potent. 4. 6. ad 4. & opusc. 15. c. 18. ubi dicit hanc fuisse sententiam Dionysii Areopag. & alij multi. Probant aliqui 1. Anima Humana, cum separatur à corpore, manet sine ulla materia. atqui quicumque possibilis Angelus est perfectior Animâ Rationali, & invariabiliter manet semper ad eum modum, quo anima manet post separationem à corpore: ergo quicumque possibilis est expers materiae. In hoc argumento tacite supponitur, quod omnis compositio arguat minorem perfectionem vnius, comparatione alterius non habentis huiusmodi compositionem, quod non est vniuersum verum, nisi, ceteris paribus, potest enim aliquando simplicitas quae inest vni, compensari in altero: v. g. etiam Caelum, vt multi volunt, sit corpus simplex, adhuc tamen est imperfectius quouis Animal: item licet Persona Christi habeat maiorem compositionem quam purus homo, quatenus etiam includit Naturam divinam, vel saltem in sententia ponente Subsistentiam creatam negativam, est tamen perfectior.

804. Probant alij cum S. Thoma. Intellectio est operatio prorsus immaterialis, vt apparet ex objecto primò ac per se intelligibili: quia per Intellectionem abstrahuntur ipsa etiam objecta in se à parte rei individualia ac materialia ab omnibus conditionibus individuantes ac materialibus; ita vt quae materialia ac individualia sunt in se, existant in intellectu vniuersaliter ac omnino immaterialiter: ergo substantia purè intellectualis, qualis est omnis Angelus, ex suo conceptu est omnino immaterialis, adeoque essentialiter simplex.

805. Non assequor vim argumenti. Vel enim est sermo de immaterialitate & simplicitate physica & intrinseca ipsius Intellectionis, vel de immaterialitate & simplicitate objectiva, hoc est, quod Intellectio sit Imago rei immaterialis & simplicis: ex primo non potest legitime inferri simplicitas ipsius substantiae cognoscentis; nam etiam Intellectio humana est physice simplex, hoc est, non composita ex subiecto & forma, sicut & omnes sensationes, & tamen homo & bruta sunt substantiae compositae. Si verò sermo sit de

simplicitate objectiva, tunc in argumento assumitur quod esset probandum, nempe quod cognitio Angelica omnia repraesentet cum simplicitate: hoc enim negabunt adversarij, & dicent, quod sicut homo propter compositionem ex corpore & anima omnia cognoscit instar corporis, ita substantia illa, de qua disputamus, omnia cognosceret instar rei compositae: quemadmodum defacto Angeli cognitione naturali cognoscunt Deum instar substantiae compositae, propter compositionem quam habent ex natura & subsistentia, aliisque accidentibus.

806. Probant alij. 3. Omne quod est gratia alterius, est corporeum, omnis Materia est gratia alterius; ergo est corporea: ergo nulla potest esse spiritualis. 2. Distinguendo maiorem. Omne quod est gratia alterius tanquam sui perfectivi, & compositivi secum entis quod sit gratia sui, est corporeum, nego; aliter, concedo maiorem. & concessâ minore distinguo consequens: Ergo omnis materia quae ita est gratia formae, vt vnâ cum forma constituat ens, quod etiam est gratia alterius, est corporea, concedo, secus, nego consequentiam. Vt ergo Conclusio probetur efficacius.

807. Supponendum est. 1. Illud omne meritò censeretur implicare, quod si daretur, nullam haberet aestimabilem vtilitatem ad aliquem finem à natura intentum, nec ipsum posset habere rationem finis propter se intenti. Ratio est, quia illud quod à Natura nec vt finis, nec vt medium potest intendi, est essentialiter superfluum, & indecens Vniuersum, vel rectius, authorem Vniuersi, tanquam artificem essentialiter sapientissimum, nec potentem aliquid indecorum operari, sed solum illud, quod est idoneum ad eius sapientiam commendandam, vt jam alibi dictum est.

808. Supponendum. 2. Quod omnis pars, quâ talis, debeat posse intendi propter totum, & per consequens illud omne quod essentialiter ordinatur ad componendum aliquod totum, essentialiter habeat rationem medij, & quidem si est tale, vt non habeat vllam aestimabilitatem, aut amabilitatem, nisi per ordinem ad totum, habet rationem puri medij, ita vt si altera compars, adeoque ipsum totum implicaret, etiam illud implicaret. huiusmodi est materia prima.

809. Supponendum. 3. Animae humanae cum materia conjunctionem, vnicè intendi potuisset propter operationes, quas Anima exercere non potest, nisi dependenter ab organis sensorijs, quorum beneficio recipit species, & concursum obsectorum, & quibus destructis impeditur ab huiusmodi operationibus. Porro haec organa oportebat esse extensa & impenetrabilia, cum certa figura, situ &c. vnde consequens erat, vt Anima rationalis peteret conjunctionem cum materia corporea: ac proinde si Anima rationalis non posset elicere vllas operationes beneficio organorum, nec conjuncta corpori aliquas operationes exercere

Q